

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Sapiencia uel sciencia at
cum fonte primo

Quid prodest, cum Ptolomeo
subterfugientis astronomie fugas consequi
subtilitatis curriculo, stellarum prophecias,
spontaneos inuestigare planetarum errores,
cum Euclide geometricorum enigmatum
secreta penicia orationem rhetorica
scrutari, in profundum
maris intellectu descendere, celi
altitudinem intelligibilibus mensuris
attingere, cum Milesio musicarum
proportionum consonantes amicicias
inuenire, cum Pithagora pugnas
numerorum uirtute multiplicationis
inspicere, cum Tullio orationem rhetorica
colorumstellare sideribus, cum Aristotile
ancipiendi dialetice gladio a ueris falsa
diuidere, cum Zenone falsitatem
probabilitate tunicare sophistica, cum
Donato in accidentium congruentia nectere
dictiones,

cum sapientia nostris temporibus nullius
fructus premietur stipendiis, nullius fame
eam aura fauoralis extollat, ipsa uero
pecunia honoris titulos, laudis emat
preconia? Sola tamen sapientia super
omnem possessionem preeminet, generosa
possessio, que sparsa colligitur, erogata
reuertitur, publicata suscipit incrementum.
Per quam nobilis conscientie thesaurus
secretis penetralibus mentis innascitur,
fructus interne delectacionis acquiritur.
Hec est sol per quem mentis diescit
in tenebris, cordis oculus, deliciosa animi
paradysus; hec in celeste terrenum, in
immortale caducum, hominem in Deum,
deifice mutationis auctoritate conuertit.

Cum sapiencia nostris temporibus nullius
fructus premietur stipendiis, nullius fame
eam fauoris aura extollat, ipsa uero
pecunia honoris titulos et laudis emat
preconia. Sola tamen sapiencia super
omnem possessionem preeminet. Generosa
possessio que sparsa colligitur, erogata
reuertitur, publicata suscipit incrementum
per quam nobilis sciencie thesaurus
secretis penetralibus mentis innascitur,
fructus interne delectacionis acquiritur.
Hec est sol per quem mentis lumen diescit
in tenebris, cordis oculus, deliciosa animi
paradysus; hec in celeste terrenum, in
immortale caducum, hominem in deum,
deifice mutationis auctoritate conuertit.

Alanus de complanctu nature.

Alanus de Insulis, *De planctu naturae*, 12
(N.M. Häring ed., p.856, ll.114-132).